Cæterum ut maximus iste atque utilissimus patriæ successus complurium Oratorum, præter tot corvos Poetas et poetrias picas, ingenia stimulavit, et pro virili nemo non aliquid ad augustos victoris pedes deponere conatus est, expectant plerique, me proxenetâ, Quid retribuet Dominus. Inter eos ut revera quidem non sis, apud me sic censeris, ut cui ultrò, nec opinanti offerendum sit, quod miselli quidam putidique assentatores, quasi bene meriti tribus manibus prensitare gestiunt. Quid his futurum sit securè laboro. Tui quam oportet rationem haberi, uti habeatur, mihi impono. Sed intueri te valetudinem Principis rogo, et hanc moræ non affectatæ causam, in benignam partem accipere. Cum vocabulo valetudinis, tuæ recordor, quam dolenti sanè mihi κ) συμπάχοντε vacillantem nuncias. Erige verò te mi Amice, et atram illam Hypochondrii nomenclaturam, si potis est, ex animo dele. Fortasse nimium Anatomiæ peritus per momenta mali sollicitus ambulas, quod ignari obiter patiuntur, et leviori suo vel damno vel periculo. Summa est, ridendi et jocandi argumenta conquirenda sunt; hæc in Wicquefortii et aliorum hospitalitate non dubiè invenies. ad illa si quid me conferre pateris, inspice quos hic addo, insipidæ venæ meæ, sed nescio quo fato, aliquos hic in prætio foetus, et ride nisi indignaris stolidi Anseris audaciam inter vos olores. Latet aliquid penes me festivioris argumenti, et quod pertinacissimas obstructiones domet, sed ad productionem, quod penè vovi non committere toto deliberationis genere deducendus sum. Experire an hic valeas quod in demonstrativo. an valeas autem hoc primum scribe, et me ama de te seriò sollicitum. 11° Decembris 1637.

(257)

Renerio.

Peto a te vir Doctissime, ut Clepsydræ sive Horologii, cujus aliquando mihi formam rudi calamo designasti, aliam denuò, sive tuâ sive peritioris manu expressam transmittere velis. prior enim illa, inter schedas nimiâ meâ incuriâ vel curâ disparuit, ut peccant securæ nimiumque sollicitæque manus. Tu autem duplici beneficio me devincies, qui sum

19. Dec. 1637. Tuus
C. H.

C. Hugenius